

- 442 Et qualem proprie talis. Nec sufficit esse Licentium.
- 443 Solvitur obiectio.
- 444 Lectores, Professores, & Magistri Regulares, qui in publica Universitate lauream Doctoratus non sunt insigniti, non possunt exequi dictas literas.
- 445 Nisi habeant speciale Privilegium, prout habent Lectores Subilati Ordinis Seraphici.
- 446 Et Patres Societatis ab eorum Generali specialiter deputati.
- 447 Nec non alii Mendicantes, qui rite designantur a Generali, & num. seq.
- 448 Debet insuper, qui exequi vult literas, esse approbatus ab Ordinario, Et quali?
- 449 Item debet specialiter ad id esse electus a penitente.
- 450 Qui penitens potest variare, & loco jam electi, alium eligere.
- 451 In casu extraordinario potest non Doctor exequi literas. Et quando?
- 452 II. Vi clausule discretionis tue committimus, quatenus si ita est &c. debet confessarius ante Dispensationem examinare penitentem.
- 453 Debet tamen testibus, vel juramento credere penitentem.
- 454 Nisi circa confessionem contrarium ceris sciret.
- 455 An, & quando primum penitentis examen sit de valore Dispensationis?
- 456 III. Clausula Audita prius sacramentali Confessione, indicat hujus necessitatem.
- 457 Erit penitens jam fuisse confessus.
- 458 IV. Clausula in foro conscientie tantum, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis, & non aliter, nec alio modo, quomodo intelligenda?
- 459 Non potest fieri Dispensatio extra Confessionem. Et num. seq.
- 460 V. Clausula, sublata occasione, quomodo intelligenda. Et num. seq.
- 461 VI. Clausula injuncta ei gravi penitentia &c. quomodo intelligenda?
- 462 Confessarius debet necessarium imponere etiam Confessionem mensuram. Et num. seq.
- 463 Opera penitentis reliqua sunt de arbitrio Confessarii.
- 464 VII. A quibusvis sententiis & censuris &c. absolvas, quomodo intelligenda?
- 465 VIII. Dummodo impedimentum sit occultum, qualiter intelligatur?
- 466 IX. Et separatim fieri non possit absque scandalo &c. qualiter intelligatur?
- 467 X. Aliudque Canonicum non obstat impedimentum, quid velit?
- 468 XI. Dicta muliere de nullitate prioris confessionis certiorata, quid significet? remissive.
- 469 XII. Secretum contrahere quid importet? remissive.
- 470 XIII. Prolem susceptam legitimam decernendo, quid?
- 471 Quos effectus habeat hec legitimatio? Ibidem & seq.
- 472 Legitimatio proli fieri debet sub confessione Sacramentali.
- 473 XIV. In foro conscientie tantum, quid importet?
- 474 XV. Nullis super his testibus requisitis: quid velit?
- 475 XVI. Presentibus laniatis, quid importet?
- 476 Potest de literis scripta retineri copia non tamen authentica.
- 477 XVII. Neque laici restituas, quid man-

- det. Et num. seq.
- 478 XVIII. Quod si restitueris &c. nihil suffragentur, quid innuat?
- 479 XIX. Gravis ubique Quid significet?
- 480 Compendiosa recollectio, quis exequi possit literas Penitentiarie?
- 481 Alia similis recapitulatio, quomodo se gerere debeat Exceptor, ut valide, ac licite exequatur, ac dispenset?

Quamvis in precedentibus multa jam dicta habeantur de Dispensatione pro solo foro interno, nihilo minus, quia de eo incidenter tantum, (excepto §. II.) pro foro externo autem principaliter egimus, in presenti §. principaliter nunc etiam agemus de Dispensatione pro solo foro interno, quae petitur, & conceditur per Sac. Penitentiarium, quando impedimentum est occultum. Quando autem ad propositum impedimentum dicatur occultum, habes supra num. 44. Hoc notato.

Queritur I. Super quibus impedimentis? & ex 418 qua causa dispensare possit, & solet sacra Penitentiarium pro foro interno? Resp. I. Super omnibus & solis impedimentis occultis iure duntaxat Ecclesiastico dirimentibus, vel impedientibus dispensare, ex iusta causa potest, & solet sacra Penitentiarium tam ante, quam post contractum Matrimonium. Justis lib. 1. cap. 8. n. 29. Filiuc. Tom. I. Tract. 10. p. 2. cop. 10. cum communis aliorum. Patetque ex constitutione Pii V. In omnibus rebus. Ubi Penitentiarium potestatem dispensandi pro foro externo restrinxit ad solos casus occultos pro foro interno. Corrad. lib. 7. cap. 4. n. 4. Justis lib. 1. loc. cit. n. 3. apud quos dictam Bullam per extensum habes.

Limitatur tamen conclusio quoad impedimentum Confangunitatis, utpote super quo ante contractum Matrimonium nunquam, post contractum vero in tertio, item in quarto gradu (si Confangunitas est occulta) minime vero in primo vel secundo dispensare solet, etsi Confangunitas sit occulta. Ita ex stylo & praxi. Justis lib. 1. cap. 8. nu. 30. Filiuc. loc. cit. Super impedimento Affinitatis autem etiam in primo gradu lineae rectae, & transverse dispensat. DD. citati, & confessariis notorius stylos.

Resp. II. Sacra Penitentiarium ex iisdem causis dispensare potest, & solet, pro foro interno, ex quibus Papa dispensare solet pro foro externo juxta dicta a numer. 69. si denas causam generalem dictam ex rationabilibus causis (cum nullam taxam recipiat.) Probationem facit stylos & praxis.

Queritur II. Quomodo apud S. Penitentiarium necessarium exprimi debeant in supplicatione pro obtinenda Dispensatione in ordine ad solum forum internum? Item quae omisso, falsitas, vel error vitiet, ac subreptitium reddat Dispensationem? Resp. I. Non omnia quidem, sed tamen potentiora, quae ad impetrandam Dispensationem pro foro externo exprimenda sunt juxta dicta §. IV. exprimi debent ad eandem impetrandam pro solo foro interno. Prima pars, quod non omnia exprimi debent, patet in dictione. Nam exprimi non debent. I. Nomen vel cognomen Oratorum. 2. Nec Nomen Dicitis. 2. Necessario non est exprimens gradus propinquus (nisi sit primus) sed sufficit remotiorem exprimere, casu, quo Oratores inaequaliter v. g. in secundo & tertio, vel tertio & quarto existunt juxta dicta supra §. IV. 4. Necessario non est exprimens copula, nisi sit habita cum spe facilius obtinendi Dispensationem. Ratio

Ratio est; quia fundamenta supra a n. 185. pro necessitate exprimendi copulam allegata, militant tantum pro foro externo, uti etiam Declarationes Cardinalium, utpote quae in materia Dispensationis matrimonialis pro foro externo emanatae censentur, nisi aliud exprimat, ut bene advertit Corrad. lib. 8. cap. 1. num. 53. & ex ipso Justis lib. 1. cap. 8. num. 21. Nec erit necesse de novo impetrare literas Dispensationis, casu, quo Oratores post obtentas, sed executioni nondum mandatas literas copulam inter se repellant, vel Orator v. g. de novo cognoscat confanguineam illius, cum qua modo vult contrahere; si in sacra Penitentiarium prius jam exposuit occultam affinitatem ex precedente copula cum eadem confanguinea prius habita. Ut bene ampliatur Corrad. loc. cit. n. 50. secus est, si pro foro externo sollicitur Dispensatio juxta dicta n. 188.

422 Altera pars videlicet, quod potentiora exprimenda sint, probatur etiam inductione. Nam necessario exprimenda sunt. I. Ipsum impedimentum in specie juxta dicta n. 150. II. Si Oratores plura habent impedimenta occulta, omnia exprimenda sunt juxta dicta n. 151. III. Et quidem in eadem supplicatione per dicta n. 152. Nisi unum esset publicum, alia vero occulta per dicta n. 153. IV. Necessario allegari & exprimi debet iusta dispensandi causa aliqua ex dictis a n. 69. Plerumque autem allegari solent scandala scuturata (ob copulam praecedentem v. g. vel jam contractum Matrimonium juxta dicta n. 49. nisi dispensetur. V. Exprimi debet, si Matrimonium jam est contractum juxta dicta num. 157. Item an in facie Ecclesiae & praemis denuntiationibus, bona vel mala fide sit contractum. VI. Gradus impedimenti Confangunitatis, & Affinitatis juxta dicta num. 163. VII. Circa cognitionem spirituale occultam debet exprimi, an sit filiatio, vel compaternitas simplex, vel duplicata juxta dicta n. 200. VIII. Circa impedimentum criminis, an cum, vel sine machinatione contigerit juxta dicta n. 202.

423 Resp. II. Eodem modo, quo pro foro externo, etiam pro solo foro interno falsitas circa causam motivam, seu finalem, & principalem, non item circa impulsivam vitiat, & invalidatur Dispensatio per dicta supra §. V. a n. 205. ubi vide. Sufficit autem verificari causam tempore, quo confessarius executioni mandat literas Dispensationis juxta dicta num. 218.

424 Resp. III. Error circa impedimentum vel gradum pariter eodem modo vitiat, & annullat Dispensationem pro solo foro interno sicut pro externo juxta dicta n. 163. & n. 215.

425 Queritur III. Quomodo supplicatio pro impetranda Dispensatione in ordine ad forum internum in praxi fieri, & exprimenda exprimi possint & debeant? Resp. I. quamvis supplicatio ad obtinendam Dispensationem pro solo foro interno fieri & exprimenda exprimi valeant eodem modo, & stylo, quo fit pro foro externo juxta dicta §. VI. (excepto, quod nomina Oratorum non exprimantur, aliaque fiat inscriptio) tamen ille modus necessarius non est, sed sufficit, si necessario exprimenda juxta dicta n. 422. praesertim vero impedimentum & gradus, ipsaque dispensandi causa ad captum clarè & sufficienter sine superflua ambage exprimantur. Patet conclusio continua experientia & praxi, qua constat innumeros Confessarios pro Dispensatione supplicantes, non eundem stylo, vel modum servare in scribendo, & tamen obtinere Dispensationem; dummodo necessario exprimenda ad captum sufficienter exprimerent. Expediit nihilo minus, ut servetur supplicandi stylos in Curia utitatus. Reifensuel Jus Can. Tom. IV.

Resp. II. Inscriptio in supplicatione ad obtinendam Dispensationem pro foro interno non fit Passiva, sed summo Penitentiarium (qui est unus ex Cardinalibus S. R. E.) uti patet ex subsequentibus supplicationum formulis, quas pro majori commoditate Parochorum, & aliorum Confessoriorum, praesertim in hac re minus practicoorum apponeretur duximus, juxta praxin & stylium de facto consuetum & receptum in Sac. Penitentiarium. Circa quem notandum, quod, si unus tantum conjugum conficius est impedimenti ex delicto occulto (uti plerumque res se habet) non ambo conjuges, vel sponsi, in plurali, sed Reus in singulari ficto nomine supplicet; uti liquet ex sequentibus.

Formula Supplicationis pro Dispensatione super impedimento Affinitatis in primo gradu lineae rectae post jam contractum Matrimonium.

Eminentissime, & Reverendissime Domine &c. Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae pro parte devoti Illius Oratoris, (ponitur N. N. vel fictum nomen v. gr. Caji Laici) quod ipse alias conficius impedimenti (si impedimentum ignoravit, uti multi simplices ignorant, dicatur loco conficius, ignorans impedimenti) Matrimonium per verba de praesenti in facie Ecclesiae contraxit, & successivè consummavit cum muliere, cujus Matrem antea carnaliter cognoverat. Cum autem dictus Orator ob Affinitatis impedimentum ex praedictis proveniens (quod occultum est) in eo Matrimonio remanere non possit absque Sedis Apostolicae Dispensatione: & si divortium inter eos fieret, scandala exinde verosimiliter oriuntur, cupit a praemissis de quibus summe dolet, absolvi, & secum super impedimento ad remanendum in dicto matrimonio dispensari, (si proles ex eo jam est concepta, addatur, prolemque susceptam legitimari) Quare Eminentiae Vestrae humilissime supplicat, ut super his de opportuno remedio Autoritate Apostolica providere dignetur.

In fine per modum postscripti, procurans literas reverentialiter insinuat & rogat, quod literas Dispensationis dirigere debeat Cardinalis Penitentiarium v. g.

Dignetur Eminentia vestra responsum dirigere Monachium, Ratisbona ad me infra scriptum.

Porrò si in loco, ubi Orator existit, facile haberi non possit Doctor in Theologia, aut Jure Canonico, id etiam addere poterit sollicitator, & rogare, ut alii committatur Dispensationis executio, v. gr. Et quia in Oratoris loco nullus reperitur Confessarius in Theologia Magister, vel Canonum Doctor, vel alius ad exequendum privilegium, dignetur Eminentia providere & disponere, ut etiam alius exequi valeat.

Eadem haec supplicatio potest brevius fieri juxta formulam, quam praescribit Ardekin in Tripartit. Theolog. Tom. 2. p. 2. Tract. 4. §. 5. sequentis tenoris.

Eminentissime, & Reverendissime Domine, &c. Titius N. Laicus, conficius (vel ignarus) impedimenti contraxit in facie Ecclesiae Matrimonium cum muliere, cujus matrem, vel sororem, prius carnaliter cognovit; quare cum absque scandalo separari non possint, & impedimentum sit occultum, humilissime supplicat pro absolutionis & Dispensationis remedio.



Formula Supplicationis pro Dispensatione super eodem impedimento Affinitatis ante contractum Matrimonium.

429 Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine &c. Exponitur humiliter Eminentiæ Vestræ, quod postquam Fabius N. carnaliter cognovit Titiam N. postea ignarus impedimenti bona fide (vel conscius impedimenti) tractatum habuit de contrahendo Matrimonio cum sorore dictæ Titie; Cum autem dictum impedimentum sit occultum, tractatus verbè publicus, & nisi ad effectum deducatur, scandala exinde verosimiliter exortitura sunt, cupit Orator ad vitanda scandala, & pro conscientie suæ quiete de præmissis, de quibus summè dolet, absolvi, & se cum dispensari. Quare Eminentiæ Vestræ humiliter supplicat &c. ut supra n. 428.

Formula supplicationis pro Dispensatione super impedimento affinitatis ante contractum Matrimonium, ex aliis causis.

430 Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine. Exponitur humiliter Eminentiæ Vestræ pro parte devote illius Oratrixis Anne N. quod, cum dicta Oratrix dotem habeat minùs competentem juxta statuta sui conditionem, cum qua virum sibi non conjugium, vel officium paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiat matrimonialiter copulari cum Titio N. Laico, qui cum dicta minùs competente dote in uxorem accipere vult: pariter allegari possunt aliæ causæ modo supra à n. 69. allegatæ. Sed quia in tertio affinitatis gradu ex copula licita exorta, se attingit, desiderium suum hæc in parte adimplere non potest absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicat igitur humiliter Eminentiæ vestræ, ut, cum impedimentum occultum existat, opportuno remedio providere dignetur &c.

Formula supplicationis super impedimento voti castitatis, ex causa periculi incontinentiæ, quod periculum in hoc plerumque allegari solet, & verè allegatum semper sufficit.

431 Exponitur humiliter Eminentiæ Vestræ pro parte devoti illius Oratoris Lamberti N. laici, vel Oratrixis Sabine N. quod ipse, vel ipsa aliàs votum castitatis emisit. Cum autem stimulis carnis ita ageretur, ut se continenter vivere posse diffidat, pro suæ conscientie tranquillitate cupit per Sedem Apostolicam votum prædictum ad effectum contrahendi Matrimonium commutari; quare humiliter supplicat Eminentiæ Vestræ, quatenus prædictum votum ad hoc, ut Matrimonium juxta formam Concilii Tridentini contrahere, debitumque conjugale exigere, & reddere licite possit, in alia penitentiæ, & pietatis opera dispensando commutari, auctoritate Apostolica dignetur. Vel brevius super eodem impedimento voti.

432 Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine. Lucianus N. laicus emisit simplex votum castitatis perpetuæ: sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium. Quæ brevis formula sicut & allegata supra n. 428. non ita pridem pro instructione Romæ fuit translata, consequenter secuta.

433 Queritur IV. Quomodo, & ad quos Romam dirigi debeat supplicatio ad obtinendam Dispensationem pro solo foro interno? Resp. I. Possit eligi

unam ex viis supra n. 281. & 282. præscriptis. Circa quas notandum quòd, licet juxta dicta n. 284. Procuratores Generales Ordinum non libenter suscipiant munus procurandi Dispensationes pro foro externo, id tamen pro foro interno libentissime, magnaque cum charitate & promptitudine faciunt. Hinc

Resp. II. Si penitens aliquis dispensationem super impedimento occulto pro foro interno indigens venit ad Confessarium Regularem, cujus Religio Procuratorem Generalem Romæ habet, uti est nostra Seraphica, securissima, & expeditissima via, charitativè conforme est; si talis Confessarius ipse statim Romam scribat Procuratori Generali, ei impedimentum, & causam dispensandi exponendo, simulque rogando, ut Dispensationem procurare dignetur. Et ne quis de litteris efformandis ullam difficultatem apprehendat, formulam talium litterarum anneximus.

Formula scribendi Procuratori Generali.

Adm. Reverende in Christo P. Procurator Generalis &c. Quod hæc gravia & copiosa A. R. Paternitatis 435 negotia interpellem, uerè charitas Proximi, siquidem Titianus N. Laicus, postquam fornicariè cognovit Annam N. conscius impedimentum, vel bona fide, utpote impedimenti ignarus, contraxit Matrimonium cum dicta Anne sorore, illudque consummavit. Quare cum impedimentum occultum existat, & separatò sine scandalo fieri nequeat, rogamus humillimè, & ego cum ipso, dignetur A. R. sua Paternitas necessariam Dispensationem pro foro interno apud Sac. Penitentiarium Amore Dei, & proximi procurare, ac obtentam mihi transmittere, Deus omnis charitatis largissimus Receptor dabit mercedem, quæ ut copiosius sit, exiguas preces meas promitto, & sub reverentia mei recommendatione maneo.

A. R. Paternitatis

Servus in Christo humillimus Fr. NN.

Ad hanc modum etiam alia impedimenta unà cum causa, ex qua dispensatio præterdatur, breviter eidem scribi poterunt; ex his enim habitis ipse supplicationem formabit, offeret, eique conformiter Dispensationem obtinebit, & securè transmittet.

Notandum hæc, quòd reverentia, ac Religiosa complementa in dictis litteris breviter adducta nullatenus adhibere, sed simpliciter scribere quis debeat, si ad ipsum Eminentiſſimum Cardinalem Majorem Penitentiarium scribitur juxta formulas n. 426. allegatas, & dicta supra n. 236.

Resp. III. Regulares Procuratorem Generalem Romæ non habentes, sicut & alii, qui unam ex supra n. 281. & 282. offensis viam amplecti nolentes, ipsimet, ut securi sint, supplicationem rite formare, & Romam dirigere volunt, possunt id etiam facillimo negotio præstare.

Si videlicet supplicationem pro modum litterarum ad Eminentiſſimum Cardinalem summum Penitentiarium juxta formulas supra à n. 426. allegatas, faciunt, eamque sigillo claudunt, exteriorem inscriptionem ita faciunt; Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Domino S. R. E. Cardinali Majori Penitentiariorum, sicque factam, sigillatam, & inscriptam mediante postâ ordinariè Romam dirigit. Hoc enim si quis facit, Dispensationem à Sac. Penitentiariorum certè obtinebit; dummodo interitus

interitus in supplicationis litteris per modum postscripti reverentialiter manifestet, quoniam litteræ responsoriæ, ac Dispensatoriæ dirigi debeant. Postest autem postscriptum taliter fieri, juxta dicta n. 427.

Quòd si responsio Revmi. forsitan tardare videbitur, poterit Confessarius litteras easdem repetere, ut, si forsitan priores fuissent deperditæ, saltem posteriores ad Sac. Penitentiarium, & inde litteræ Dispensationis veniant. Oportet autem addere, quòd litteræ repetantur ex eo, quia ob diu emanans responsum timeatur priores fuisse perditas.

438 Queritur V. Quæ sit formula apud Sac. Penitentiarium litterarum Dispensationis pro foro interno? Et quæ clausulæ specialiter in eis observandæ? Resp. I. Formulas hæc pro diversitate impedimentorum & causarum esse quidem varias, quoad modum tamen principalem serè convenire. Subjungitur aliqua talis, qua dispensatur super impedimento occulto affinitatis.

439 Formula litterarum Dispensationis super impedimento occulto Affinitatis post contractum Matrimonium.

Nicolaus Tituli S. Mariæ Angelorum Sacra Romana Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Ludoviscus discreti viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario, per laborem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo. Ex parte laicis præsentium nobis oblata petito continet, quòd ipse alias Matrimonium cum muliere, cujus sororem antea carnaliter cognoverat, publicè in facie Ecclesiæ contraxit, & successivè consummavit. Cum autem, sicut eadem petito subiungitur, lator prædictus ob impedimentum ex præmissis proveniens in dicto Matrimonio remanere nequeat absque Apostolicæ Sedis dispensatione ad vitanda scandala, quæ, si divorcium fieret inter eos, verosimiliter oriri possent, ac pro suæ conscientie quiete cupit à præmissis, quæ sunt occultata, & de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaretur. Nos itaque, qui Penitentiariorum Domini PP. coram gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica specialiter nobis concessa discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum laicem in dicta prius ejus Sacramentali Confessione, ac sublata occasione, si qua adhuc exeat, amplius cum dicta sorore peccandi, à quibusvis sententiis, censuris, & penis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hæc vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi penitentia salutari, ac Confessione Sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum præfatum sit occultum, & separatò inter laicem, & præfatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timeamur tibi visum fuerit, aliudque Canonicum non obstat, ut eodem laicem, & dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorati, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam debeat, Matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo secretè ad vitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenset; prolem susceptam si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientie

Et in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter; neque ullo alio modo. Ita quòd hujusmodi absolutio & Dispensatio latori in foro judiciali nullatenus suffragentur; nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confessis, sed præsentibus laicis, quas sub pena excommunicationis late sententiæ laicare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eis latori restituas; quòd si restiteris, nihil ei præsentis litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo officii Penitentiariorum &c.

Hæc litteræ incutuntur clausulæ, quarum inscriptio ad extra ordinariè ita sonat: Discreti viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario.

Pro secunda parte quaerit n. 438. pbbti prænotandum, stylum Penitentiariorum in concedendis litteris Dispensationis pro foro interno super impedimento Matrimonii esse aequaliter immutatum, eò quòd vi styli novi dictis litteris inferri soleant clausulæ, quæ non reperiuntur in litteris, juxta stylum antiquum expeditis, uti videre est conferendo Dispensationis litteras à Sanch. relatas Lib. 8. Disp. 34. nu. 1. 3. & 4. cum litteris novo stylo conformibus præced. n. adductis; patebitque in decursu explanationis clausularum. Hoc notato,

Resp. II. Clausulæ specialiter observandæ sunt 441 potissimum sequentes. I. Discreti viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per laborem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo. Hæc clausula denotat qualitates necessarias ad hoc, ut quis aperire, & exequi possit litteras Dispensationis à Sac. Penitentiariorum emanatas; vi quarum requiritur primò, ut quis sit vel Magister in Theologia, cujusmodi sunt in Curia Romana, & Academia Sorbonensi; vel Doctor in Theologia; qui enim in dictis locis vocantur Magistri, vocantur in Germania, & in nonnullis aliis Universitatibus Doctores in Theologia, adeò ut Magister & Doctor in Theologia synonyma sint teste Sanchez Lib. 8. Disp. 34. n. 5. Gobath in Quinario Tract. 5. cap. 37. n. 155. Vel denique Doctor Decretorum, sive Juris Canonici; ita enim in sensu diviso hæc qualitates expressè requirit tenor clausulæ.

Idque in sensu omnino proprio & stricto, adeò 442 ut licet quis sit vir doctissimus & ut Lector, vel Professor publicè doceat, vel etiam examinatus jam & approbatus Licentiatu existat, præfatas litteras valde exequi non possit, consequenter facta ab eo executio, seu Dispensatio, indeque secutum Matrimonium nulla forent etiam in foro interno, nisi Laurea doctorali in effectu, & re ipsa insignitus sit in publica aliqua Universitate, vel Academia. Sanchez Lib. 8. Disp. 34. à nu. 5. Jusus Lib. 1. cap. 8. à num. 95. Diana p. 3. Tract. 3. Resolut. 103. Lezana v. Litteræ Apostolicæ. Pontius de Matrim. Lib. 8. cap. 21. §. 1. n. 13. Gobath in Quinario tract. 5. cap. 37. n. 156. cum communium aliorum. Ratio est; quia nemo potest exequi, nisi verè sit delegatus à Sac. Penitentiariorum, hæc autem non nisi Magistrum aut Doctorem verè, & effectivè talem delegat, quales non sunt supra nominati: ergo. Accedit, quòd, quamvis potestas dispensandi alicui generaliter concessa, sit late interpretanda, tamen ipsa Dispensatio, seu potestas dispensandi specialiter concessa, sit strictè interpretationis, pro dicta interpretatus, & communissimum DD. apud Jusus Lib. 1. cap. 2. n. 1. & 2. Sanchez Lib. 8. Disp. 1. & 2. hanc doctrinam solidè deducunt.

Nec refert, quòd Licentiatu in doctrina pares habeantur Doctoribus, & in favorabilibus veniant nomine Doctorum; atque existens in potentia



acti proxima videatur existere in ipso actu. l. penult. ff. de Milit. Testam. Nam contra est; quod illud, Licentiam in favorabilibus veniunt nomine Doctorum intelligi debeat de favorabilibus, quae competunt Doctoribus ratione exercitii, non vero, quae competunt ratione Dignitatis, ut post Ripa citantem communem bene advertit Sanchez loc. cit. n. 8. Potestas autem exequendi litteras delegatur Doctoribus, & competit eis ratione dignitatis. arg. c. statutum. de Rescript. in 6. ergo. Hinc contra torrentem DD. audiendus, & sequendus non est Engel in Manual. Paroch. p. 3. cap. 2. §. 1. n. 16. volens etiam Licentiatos posse aperire, & exequi litteras Sac. Penitentiarum; praesertim cum hic agatur de valore Sacramenti, circa quem non licet sequi sententiam probabilem vel etiam probabiliori.

441 Et ex his etiam inferunt Sanch. cit. Lib. 8. Disp. 34. n. 9. Lezana v. Litterae Apostolicae. n. 14. Diana p. 8. tract. 3. Resolut. 103. Justis Lib. 1. cap. 8. n. 101. & alii communiter, neque posse exequi praefatas litteras Lectores, & Professores Regulares, qui juxta Ordinis statuta vocantur Magistri Theologiae, vel Juris Canonici, nisi in publica aliqua Universitate vel Academia realiter & formaliter insigniti sint laurea Doctoratus, aut id eis ex speciali competat Apostolico privilegio.

445 Sic enim ex speciali privilegio Apostolico illi Lectores Ordinis nostri Seraphici, qui post peractam statuto tempore Lecturam, per Ordinis statuta vocantur, & sunt Lectores Jubilati (non item Generales, multo minus actuales non Jubilati) possunt exequi praefatas Sac. Penitentiarum litteras ac dispensate; prout per specialem Bullam novissime videlicet 1679. 27. Novembris concessit Innocentius XI. Exponi Nobis.

446 Pariter ex speciali privilegio possunt dictas litteras exequi Praefatus Confessarius Societatis JESU, non quidem omnes, sed illi, qui ab eorum Praeposito Generali, vel de ejus licentia ab aliis Societatis Superioribus ad id specialiter designati fuerint, etiam si Doctores Theologiae, vel SS. Canonum non existant. Ita enim expressit per speciale Privilegium concessit eidem Gregorius XIII. 3. Aprilis 1582. cujus concessio tenorem habes infra n. 443.

447 Idem possunt ex communicatione cum privilegiis Societatis alii mendicantes, ut bene notat Sanchez Lib. 8. Disp. 34. num. 11. Roderiq. Tom. 1. q. Regular. q. 63. a num. 8. in fine. Justis Lib. 1. cap. 8. n. 103. & alii contra Lezana volentem, dictum privilegium fuisse tantum concessam tunc praesenti Generali P. Claudio Aquaviva, & ad successores non transisse, per consequens nec ad alios Regulares vi communicationis privilegiorum; in quo tamen Lezana communiter refutatur, & merito; quia Pontifex dictum privilegium deputandi aliquos pro executione memoratarum litterarum non concessit nominatim P. Claudio Aquaviva, sed universaliter Praeposito Generali; ac de ejus licentia aliis superioribus Societatis; consequenter etiam vi communicationis privilegiorum aliis Regularium Mendicantium Generalibus & de eorum licentia aliis Superioribus. Mentent tamen Sanchez, & Roderiq. loc. cit. quod, sicut alii Superiores Societatis, ita & aliarum Religionum Mendicantium Superioribus quicumque tandem etiam Provinciales, nec ipsimet exequi, nec ad exequendum alios deputare possunt, nisi ad id licentiam a Generali habeant; quia hoc tanquam conditio in concessio privilegio expressit requiritur, uti patet ex tenore ejusdem ita sonante.

448 Sed possunt sacerdotes Societatis JESU designati per Praepositi generalem aut de ejus licentia per alios Superiores Societatis, & a locorum Ordinaris appro-

bati vel approbandi, etiam nullo gradu sint insigniti, aperire litteras Sacrae Penitentiarum destinatas Magistris in Theologia, vel in Jure Canonico Doctoribus, & auditis confessionibus recurrentium ad ipsos, imposita illis penitentia in literis expressa, vel de jure infligenda eos absolovere, ac in foro conscientiae quascunque sibi verbo, vel scripto commissas abolutiones, dispensationes, & penitentiarum injunctio- nes excipere, & exequi.

Hinc pro majori securitate, commoditate, ac penitentium utilitate provide apud Societatem introductum est, ut a quovis Generali designentur in genere omnes Superiores Societatis, & alii Confessarii ab his specialiter deputandi ad exequendas praefatas litteras; quod, ut in hoc imitatur aliae Religiones, plane optandum esset, ut bene monet loc. cit. Roderiq.

Secundo vigore clausulae nu. 441. postea requiritur, ut Confessarius sit approbatus ab Ordinario. DD. citati, & alii communiter ob clarum verborum tenorem. Non requiritur tamen, quod Confessarius sit approbatus ab Ordinario penitentis, sed sufficit, esse confessorium approbatum ab illo Ordinario, in cujus Dioecesi fit executio litterarum, prout teste Justis lib. 1. cap. 8. n. 99. declaravit Sac. Congregatio. Ceterum quia approbatio Ordinarii tanquam forma & conditio praescribitur, ita necessaria est, ut in invalida sit Dispensatio, si fiat a Confessario, qui vel a nullo, vel ab aliquo quidem, sed non ab Ordinario penitentis, vel ab illo, in cujus Dioecesi fit Dispensatio, approbatus est, etiam si existat famosus, & doctissimus Theologiae Doctor, Justis loc. cit. Sanchez loc. cit. num. 15.

Tertio requiritur, ut quis ab Oratore, pro quo dispensationis litterae sunt emanatae, ad exequendum specialiter sit electus: ita clara verba clausulae nu. 441. polite. Ut proin haec tria copulativè requirantur, consequenter etiam quis sit verè Doctor Theologiae, aut SS. Canonum, aut saltem speciali privilegio munitus, sed non approbatus a praefato Ordinario, vel etiam approbatus, sed non electus, vel electus, sed una ex praefatis conditionibus carens, invalida sit Dispensatio. Quod si verò praefatas tres conditiones habeat, valebit Dispensatio, etiam si indoctissimus Doctor, ut cum aliis bene advertit Sanchez loc. cit. n. 17.

Illud tamen circa tertiam hanc conditionem notandum, quod, si unus Confessarius a penitente electus exequi recuset, vel ob nimium rigorem penitentis displiceat, possit iste variare, & alium eligere, qui forsitan alterius, & benignioris est opinionis. Sanchez lib. 8. Disp. 27. num. 40. Gutierrez de Matrim. cap. 125. num. 18. Lezana v. Litterae Apostolicae. num. 19. Justis de Dispensat. lib. 1. cap. 8. n. 122. Corrad. lib. 7. cap. 4. nu. 72. dicens, ita saepe interrogatum Sac. Penitentiarum ipsamet respondisse. Ratio est; quia commissio pro foro conscientiae sequitur fori naturam, nisi aliter exprimat, natura autem fori interni non asfringit penitentem ad opinionem vel sententiam unius Confessarii, sed permittit variare, & alium eligere: ergo.

Ceterum dicta haecenus de necessitate trium praefatarum qualitatium in Executore intelligenda sunt de via ordinaria: ordinariè enim, seu regulariter loquendo, Penitentiarum solet committere executionem discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbato ab Ordinario &c. Quod si verò dicta Penitentiarum commissio, & inscriptio alter, & ita faciat discreto viro Confessori ex approbato ab Ordinario (prout facere potest, & in casu extraordinario solet, si

si penitens proponit, quod in suo loco, ubi degit, nullus Confessarius, qui esset Doctor in Theologia, vel Jure, reperitur, ac propterea insat, ut alteri fiat commissio juxta dicta num. 427. poterit quivis approbatus ab Ordinario, vel alius per litteras specialiter deputatus illas exequi, etiam si Doctor non sit.

453 II. Clausula: Discretionis tuae committimus, quatenus si ita est &c. vi hujus clausulae debet Executor penitentem examinare, & videre, an preces veritate nitantur, v. g. an Matrimonium jam sit contractum, an impedimentum fit occultum, an scandala ex separatione verosimiliter sint timenda, vel an alia causa finalis allegata subsistat &c. & si preces veritate non niti repererit, dispensare non potest; quia veritas precum est conditio requisita ad valorem dispensationis, conditione autem non servata, invalida est Dispensatio, juxta communem & certam arg. l. Diligentem. ff. Mandati. & c. Cum dilecti. de Rescript.

454 Non tamen est necessarium, ut pro informatione adhibeat Notarium, vel testes, vel exigat juramentum a penitente, sed sufficit ipsum solum examinare; cujus dein dictis fidem habere, & dispensare potest ac debet. Justis lib. 1. cap. 8. n. 127. Sanchez lib. 8. Disp. 34. n. 21. Pontius de Matrim. lib. 8. cap. 21. n. 16. & alii communiter. Ratio est; quia, cum Dispensatio committitur pro solo secreto foro conscientiae interno, attenduntur leges dicti fori, in quo creditur soli penitenti etiam non juranti.

455 Id tamen limita in casu, quo Confessarius extra Confessionem certo sciret, preces veritate non niti; tunc enim nec d.beret, nec valide posset exequi litteras; quantumvis contrarium mentiendo, vel opinando asserat penitens. Sanch. loc. cit. Justis loc. cit. n. 129. Lezana v. Litterae Apostolicae. n. 21. Diana p. 8. Tract. 3. Resolut. 103. cum communi arg. cit. l. Diligentem. ff. Mandati. cum concordant.

456 Porro si clausula de veritate precum simpliciter ita sonat: si ita est; vel si preces veritate nitantur, valida erit Dispensatio, etiam Confessarius nullum examen penitentis praesertit; dummodo preces reverè ita se habeant, seu a parte rei verè subsistant: si autem clausula ita sonat; quatenus si ita esse per diligentem Oratoris examinationem &c. inveneris, invalida foret dispensatio, si Executor non praesertit examen Oratoris; quia vi hujus, non autem prioris clausulae praevium examen, & indagatio de veritate precum tanquam conditio requiritur per dicta supra n. 322. & seq. Et haec distinctio circa diversitatem praefatae clausulae bene est notanda, quam non advertentes quidam DD. multum discrepant, & inaniter se fatigant.

457 III. Clausula est: audita prius sacramentali confessione: haec clausula de antiquo stylo non interebatur Dispensationis litteris, & hinc Sanchez lib. 8. Disp. 34. num. 29. Perez & alii ante novum styllum scribentes, non improbabiler docuerunt, ad valorem Dispensationis per confessorium faciendae pro foro interno non praerquiri confessionem Sacramentalem. De facto autem certum est ante Executionem debere penitentem prius sacramentaliter confiteri Confessario debite qualificato, & ad exequendas litteras electo. Corrad. lib. 8. cap. 10. num. 31. Justis de Dispensat. lib. 1. cap. 8. a num. 105. Gobath in Quinar. Tract. 5. cap. 37. nu. 176. Ratio est; quia, cum dicta clausula ablativo posita conditionem importet l. a testatore ff. de Condit. & Demonstrat. conditio autem formam l. qui haeredi. l. Moxus. ff. cod. inevitabiliter ad valorem requiritur c. cum dilecti. 22. de Rescript. Responsum Jus. Com. Tom. IV.

& l. Diligentem. 5. ff. Mandati. cum Concord.

Idque procedit, etiam penitens prius alteri jam fuerit confessus, & ab incestu, alique peccatis absolutus, de facto nullum in conscientia habeat peccatum mortale; quia clausula illa in ablativo posita per modum conditionis requirit, ut ipse Confessarius ad exequendum electus prius in ordine ad exequendas litteras Penitentiarum audiat confessionem, consequenter servari debet per Jura num. praeced. allegata. Nec sublevat, quod penitens ab alio jam absolutus, de praesenti non nisi venialia habeat, ad quae confitenda nemo tenetur, nullamque Ecclesia obligat, nec obligare possit, prout magis Theologi. Nam contra est, quod licet absolute loquendo nemo teneatur confiteri venialia, & ad ea confitenda Ecclesia nullum obliget, & forsitan nullum obligare possit, tamen potest Ecclesia ad ea confitenda obligare conditionate, & dicere, quicumque indistincte (consequenter etiam nullo peccato mortali irretitus arg. c. quia circa. de Fivileg.) vult particeps esse hujus vel illius specialis gratiae, & favoris, prius confiteatur sacramentaliter, uti in casu nostro expressit fit.

IV. Accedit clausula, & priorem confirmat, necessitatemque confitendi sacramentaliter ipsi electo ad exequendum. Confessario subiens: in forma conscientiae, & in ipso actu sacramentalis Confessionis, & non aliter, nec alio modo. Quae verba tam emphatica & clara sunt ad propositum, ut nullus remanere possit dubitandi locus; praesertim cum dicta clausula, non aliter, nec alio modo indicet praesentem necessitatem, ita ut prorsus nullam admittat modificationem, vel interpretationem. J. son. in l. stipularum sum. ff. de V. O. Alex. consil. 3. Barbof. de clausul. claus. 281. & saepius Rota cum communi. Cujus consideratio Gobath, licet loc. cit. a n. 183. pluribus rationibus probare conetur, probabile esse, eum, qui nullum habet peccatum mortale, non teneri confiteri pro obtinenda Dispensationis gratia, tamen infra num. 256. id rursus revocare videtur dicens, se non audere praedicare doctrinam, quam prius probabilem reputavit.

Et ex his cessat etiam controversia illa, an possit Confessarius ad dispensandum electus, extra actum sacramentalis confessionis dispensare: cum enim clausula dupliciter conditionata expressit dicat, quod fieri debeat in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, & non aliter, nec alio modo, palam est, quod fieri nequeat extra confessionem per dicta num. praeced. & Jura n. 457. allegata. Accedente praesertim dictione tantum, quae solum includit expressum, & caetera excludit. arg. l. qui aliena. §. libertas. ff. de Negot. gesti. cum Concord. Et Doctores allegati per Barb. de Diction. Dictione 402. n. 2.

Hinc cautè legendi, & minimè sequendi sunt Doctores, praesertim ante styllum modernum scribentes, & in materia ista contrarium tenentes, inter quos est Sanchez lib. 8. Disp. 34. n. 29. quibus vitio vertendum non est, eò quod clausulae itae n. 457. & n. 459. posita, juxta antiquum styllum, non erant insertae litteris Dispensationis.

V. Clausula: ac sublata occasione, si qua adhuc extat, amplius cum dicta sorore peccandi. Quae clausula, quia rursus in ablativo ponitur, conditionem importat, & necessariò servari debet per jura supra allegata. Videtur autem hic per occasionem peccandi intelligi occasio proxima: qualis est, si Orator cum sorore v. g. uxoris putativae saepius peccaret ex eo, quod in eadem commo existat; non item si in aliena, vel in eadem quidem versetur, emendatio tamen jam est facta, ita ut periculum proximum subesse



subesse non amplius censetur, ut bene advertit Gobath in *Quinar. Tract. 5. cap. 37. n. 189.*

463 Ceterum si occasionem adhuc subsistere, ex audita confessione prudenter cognoscit Confessarius, debet ante omnia mandare poenitenti, ut occasionem proximam tollat, & interea, donec occasio actu sublata sit, Dispensationem differre; quia clausula expressè, & quidem in ablativo posita consequenter per modum conditionis arg. l. à testatore. ff. de Condit. & Demonstr. vult, ut antequam dispensetur, occasio actu sit ablata, ubi sublata occasione, consequenter ante actualem ablationem eisdem dispensari nequit arg. l. qui heredi. ff. eod. si verò eam ablatam esse, vel obsecutam emendationem, nullum amplius periculum subsistere cognoscit, sub ipso actu sacramentalis Confessionis, cum ipso dispensare potest & debet, observata tamen etiam prius sequenti.

464 VI. Clausula; injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi poenitentia salutaris, ac Confessione sacramentali peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur: quæ clausula rursus in ablativo posita pariter conditionem importat l. à testatore. ff. de Condit. & Demonstr. & consequenter ante dispensationem adimplenda est, saltem quoad impositionem mensuræ confessionis citatè l. Mævius. ff. eod. Non enim apparet, cur minus hæc, quam aliæ conditiones necessarîo observandæ sint.

465 Nec movet Sanchez cum dicit, id, quod aliàs de Jure ineft (qualis est injungenda poenitentia in quavis Confessione sacramentali) non importare conditionem, consequenter si omittatur, non annullare actum. Resp. enim, quòd, licet aliqua poenitentia in quavis confessione sit injungenda, & consequenter de Jure ineft; tamen de Jure non ineft certa ac specificata poenitentia, videlicet singulis mensibus confitendi; consequenter in ablativo posita requæ ac aliæ clausulæ conditionem respectu Dispensationis importat.

466 Porro licet olim fuerit in arbitrio confessarii, temperare mensuram confessionem, & loco illius bimestrem v.g. vel & trimestrem injungere juxta Sanchez lib. 8. Disp. 34. num. 35. Lezana §. littera Apostolica. n. 26. Diana p. 8. Tract. 3. Resolut. 109. eò quòd juxta antiquum stylum præfata clausula omiffis illis verbis, ut minimum semel ierit posita; hodie tamen in ejusdem Confessarii arbitrio non est, sed debet necessarîo injungere poenitenti, ut per totam vitam ad minimum semel in mense confiteatur. eò quòd dictio ad minimum idem significet, ac dictio saltem, quæ est implicativa, non limitativa Barbof. de Diction. dict. 355. num. 6. Gobath in *Quinar. cap. 37. num. 213. & 214. qui num. 222. addit, & bene probat, mortaliter peccare poenitentem toties, quoties in mense aliquo semel confiteri omittit. arg. c. Ne in agro. de statu Monach. & à simili de præcepto Ecclesiæ singulis diebus festivis audiendi Missam.*

467 Reliqua tamen salutaris poenitentia gravis opera, quæ à Sac. Poenitentiarum non sunt determinata, censentur relicta prudenti arbitrio Confessarii, qui pro diversitate delicti, & personæ eam imponet; ita tamen, ut consideratis considerandis reverrà gravis sit, & dici possit. Inter poenitentia opera injungenda fervire possunt opera Religionis v. g. litaniae, vel ter, aut quinquies pater & ave singulis diebus per unum, duos vel tres annos recitanda, vel singulis septimanis Rosarium per totam vitam; Item Opera charitatis v. g. largitio elemosynæ juxta illud Daniel. 4. peccata tua elemosynis redime; Item Opera mortificationis v. g. jejuniandum, vel abstinentia uno vel pluribus diebus in mense, septimana &c.

VII. A quibusvis sententiis, censuris &c. absolutus 468 in forma Ecclesiæ consueta, ea scilicet, qua Ecclesia in foro sacramentali ut solet. Gobath loc. cit. n. 207. citans Bonacin. Disp. 1. de Legib. q. 2. p. 2. n. 19.

VIII. Dummodò impedimentum præfatum sit occultum; quæ clausula iterum conditionem, & consequenter id importat, quòd si impedimentum jam esset manifestum, Dispensatio fieri non posset, & facta invalida foret etiam pro foro interno per jura n. 457. citata. Quando autem dicitur occultum, quando publicum, diximus supra n. 44.

IX. Et separatio inter latorem, & mulierem fieri 470 non possit absque scandalo; ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit. Vult hæc clausula, ut, si absque scandalo separari possint putativi conjuges, vel saltem, si separari nequeant, ut frater & soror cohabitare sine periculo incontinentiæ valeant, negata Dispensatione putativis conjuges ad id inducat. Verum notant circa hanc clausulam communitè DD. præsertim Sanch. lib. 8. Disp. 34. num. 60. Jusfus lib. 1. cap. 8. n. 178. Lezana §. littera Apostolica. n. 30. ordinariè non esse necesse, ut Confessarius experientiam capiat, si ex præteritis, vel præsentibus, aut alijs consideratis considerandis personarum & rerum circumstantiis prudenter judicat, conjuges nec sine scandalo amplius separari, nec absque incontinentiæ periculo ut frater & soror cohabitare posse; ut ordinariè fieri nequit hoc ipso, quòd prius pro veris conjugibus habiti varias suspiciones, sique diffamationem in populo causerent, si separati vivere deberent; cohabitantes autem sine periculo incontinentiæ nunquam, aut rarissimè aliquos victuos sperandum sit. Frustra autem expectatur eventus, cujus nullus est effectus. c. cum contingat. de Off. & potest. delegat. Nec obligat ulla lex ad actus frustraneos & inutiles l. quoties. 12. ff. de Reb. dub. Hinc neque necesse est, ut Confessarius multum indaget, sed potest ipsi conjugibus simpliciter asserentibus credere, & ad verbum ipsorum dispensare, nisi manifestè videret, illos sine ullo scandalo separari posse, prout v. g. contingere possit, si putativi conjuges vagi, & in loco Dispensationis penitus ignoti essent, consequenter absque scandalo separari facile possent; nisi forsan invicem ita essent affecti, ut nulla ratione separari vellent, & negata dispensatione nihilo minus in priori malo statu permansuri maximo cum ipsorum proprio scandalo præviderent.

X. Aliudque Canonicum non obset impedimentum; 472 quia Dispensatio non nisi super petitis datur, & data censetur, consequenter aliud non expressum minime tollit, ut habet certa & communis arg. c. Inter dilectos. 6. §. Ceterum. de Fide Instrum. & dictum est supra. Hinc si Confessarius præter expressum in literis impedimentum, etiam alio laborare poenitentem cognoscit, dispensare nequit; est bona fide, & ex ignorantia invincibili illud exprimere omiserit poenitens.

XI. Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur. De sensu & adimplitione hujus clausulæ dicitur infra §. finali.

XII. Ut Matrimonium secretè ad vitanda scandala, id est, sine Parocho, & testibus de novo contrahere valeat, prout amplius dicemus infra cit. §. finali.

XIII. Prolem susceptam, si qua sit, exinde legitimam decernendo in foro conscientie tantum. Pro intelligentia hujus clausulæ plura sunt notanda. Et primò quidem, quòd, si Matrimonium præmissis denuntiationibus in facie Ecclesiæ bona fide saltem

ex parte unius jam erat contractus, proles ex eo nata quoad omnia in otroquo foro ipso jure sit legitima per Jura & rationes allegatas Tu. XVII. §. 1. à n. 2.

475 Secundo, si proles fuit concepta ante Dispensationem & Matrimonio mala fide ex parte utriusque contracto, legitimum vi dictæ clausulæ in foro conscientie quoad omnes effectus tam temporales, successione v. g. in hæreditate, quam spirituales; eò quòd tunc Pontifex censetur dispensare in radice Matrimonii juxta dicta supra n. 357. & seq. contra Sanchez lib. 8. Disp. 7. à n. 20.

476 Tertio, si proles concepta & nata fuit ante Matrimonium invalide contractum, vi dictæ clausulæ etiam pro foro interno legitimitur tantum quoad effectus spirituales, consequenter nec in occulto bonâ conscientia succedere potest in bonis temporibus, si extant alii legitimi per dicta num. 356. & etiam Lib. III. Tu. XXVI. de Testam. & XXVII. à n. 18.

477 Quarto, si post dispensationem ex Matrimonio mala fide utriusque prius invalide contracto, nunc autem revalidato nascitur proles, legitima censetur proles quoad omnes effectus temporales, & spirituales per dicta cit. Tu. XXVII. à n. 2.

478 Quintò, quòd dicta clausula memoratos præfatos tres à n. 475. enumeratos effectus pariat in foro conscientie tantum, nullatenus verò in foro externo, casu, quo impedimentum evadere manifestum, uti patet ex clausula ponenda n. 480.

479 Interè notandum, quòd sicut supra n. 457. de Dispensatione diximus, legitimum hæc proles necessarîo fieri debeat in ipso actu Confessionis sacramentalis, & extra illam facta sit invalida etiam pro foro interno, eò quòd in literis Dispensationis expressè caveatur, & pro forma præscribitur, ut proles, si qua sit, legitima decernatur in ipso actu sacramentalis Confessionis, & non alter, nec alio modo.

480 XIV. In foro conscientie tantum &c. ita ut hujusmodi absolutio, & Dispensatio latoris in foro judiciali nullatenus suffragentur. Hæc clausula aperte indicat, quòd Sac. poenitentiarum, uti non potest, ita nec velit aliter absolvere, dispensare, & legitimare, quam in castis occultis pro solo interno foro. Hinc juxta communem & certam DD. si impedimentum aliquando desineret esse occultum, & evaderet publicam quocunque tandem modo, Ordinarius ad vitanda publica scandala illicò separare deberet conjuges, quantumvis in foro interno vi Dispensationis legitimum, etiam si Ordinarius ipsemet pro foro interno cum ipsis dispensasset, juxta dicenda infra vel aliunde certo sciret, Sac. Poenitentiarum cum ipsis dispensasse. Pariter subjacent poenis à Jure statutis, ipsæque proles quoad omnia reputarentur illegitimæ, eò quòd in ordine ad forum externum nullum profus effectum habeat Poenitentiarum litteræ, prout ipsemet clarè indicat per clausulam in foro conscientie tantum, & in foro judiciali nullatenus suffragentur. Cum dictio tantum præcisè includat expressum, & reliqua omnia excludat arg. l. qui sella. §. qui actum. ff. de Servitut. rurs. præd. cum Concord. & dictio nullatenus sit universaliter negativa excludens omnia etiam minima, & negans omnes casus, ut cum communi amplius refert Barbof. de Diction. dictum. Nullatenus. arg. l. fin. c. de Testam. milit. cum Concord. Hinc ne quid pro foro externo probari valeat, ponit ulterius Sac. Poenitentiarum sequentes clausulas.

481 XV. Nullis super his scribis adhibitis, aut literis datis, vi cojus clausulæ vult, ut pro Dispensatione faciendâ vel factâ nullus testis adhibeatur, nec de ea facta litteras testimoniales det confectus, nec ipsemet oreteus desuper testetur, sed circa eam,

utpote in, & sub ipso sacramentali actu præcisè factam, in foro externo se habeat, quasi nisi de ea sciret. Ad quem finem observanda etiam est sequens clausula.

XVI. Præsentibus laniatis, quas sub pena excommunicationis late sententiæ laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum exierit. Per quam clausulam tenetur Confessarius sub gravi peccato mortali dilacerare Dispensationis litteras; eò quòd excommunicatio, quæ non dilaceranti ipso facto infligitur, non nisi propter peccatum mortale infligitur juxta communem T. ubi tamen per laniationem non solum intelligitur propriè dicta laniatio, seu dilaceratio, sed quivis alius actus, quo literæ ita corumpuntur, ut non amplius possint esse usui, aut probationi pro foro externo, quod præcipue intendit Sac. Poenitentiarum. arg. c. Intelligentia, de V. S. ibi: intelligentia dictorum ex causis est sumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. Et, scire leges non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem, l. scire. ff. de Legib. Hinc satisfaceret quis clausulae, si dictas litteras combureret, in profluentem projiceret, dederet &c.

Potest etiam eas describere, & copiam pro sua, vel aliorum instructione retinere; quia illa verba ita ut nullum earum exemplum exierit, prohibent tantum copiam authenticam in debita Juris forma factam, ferventem ad probandum pro foro externo, ut bene advertit Gobath in *Quinar. Tract. 5. cap. 34. n. 273.*

XVII. Neque latori restituas. Contra hanc clausulam rursus graviter peccaret Confessarius, si litteras executioni aliquando mandatas, iterum restitueret poenitenti, ut bene loc. cit. n. 274. observat Gobath, merito tamen addens, novam excommunicationem propterea non incurri.

Dicitur autem notanter litteras executioni mandatas; quia, si eas ex aliqua causa exequi non vellet, aut tardaret Confessarius ad exequendum à se intentum electus, debet illas potenti iterum tradere, ut possit alium Confessarium quaerere, & eligere, qui forsan alterius, & benignioris opinionis existens, easdem exequi non dubitat, quod poenitenti licitum esse, supra n. 451. jam diximus.

XVIII. Quod si restituere is, nil ei presentes litteras suffragentur, intellige in foro externo, quia postquam executioni jam fuere mandate, earum valor & effectus pro foro interno minime tollitur ex eo, quòd Confessarius illas iterum tradat poenitenti; quamvis tradendo graviter peccet juxta dicta numer. 484.

XIX. Gratis ubique, hæc à tergo inscribi solita id significat, quòd nec Officiales Poenitentiarum, nec Executores litterarum illius possint aliquid exigere, vel acceptare etiam spontè oblatum, etiam sub pretextu laboris. Lezana §. littera Apostolica. num. 34. Gobath in *Quinar. Tract. 5. cap. 37. num. 279.* Post factam verò Dispensationem aliquid gratis oblatum accipi posse, desumitur ex dictis num. 321.

Queritur VI. Quia possit esse executor litterarum Dispensationis à Sac. Poenitentiarum emanatarum pro solo foro interno? Quamvis ad hoc questum jam pateat ex dictis hoc §. tamen pro majori commoditate breviter recapitulando dicta, Resp. I. Ordinariè loquendo nullus potest exequi dictas litteras, & dispensare cum poenitenti, nisi sit verus Magister, seu Doctor in Theologia, vel Jure Canonico juxta dicta num. 441. Vel habeat speciale privilegium, prout juxta dicta num. 445. sunt Lectores Jubilati Ordinis nostri, item Patres Societatis, & alii Mendicantes à Generalibus ritè designati



per dicta n. 446. & seqq. Debet insuper esse approbatus ab Ordinario per dicta n. 449. & specialiter electus à penitente per dicta n. 450.

Resp. II. In casu extraordinario possunt etiam alii non Magistri, vel Doctores exequi præfatas litteras juxta dicta n. 452.

489 Quæritur VII. Quomodo in praxi gerere se debeat à penitente electus Executor, ut ritè, validè, ac licitè exequatur memoratas litteras? Resp. Debet observare sequentia. Primò debet considerare, & pendere, an ipse habeat qualitates ad exequendum requisitas juxta dicta, alias enim foret invalida.

Secundò: debet monere latorem de necessitate confitendi juxta dicta, illiusque Confessionem sacramentalem excipere juxta dicta n. 457.

Tertio: debet penitentem à penitente, ac videre, an preces veritate nitantur, existente enim falsitate circa causam motivam, vel errore circa impedimentum, aut gradum, dispensare nequit juxta dicta n. 423. Et an non aliud lateat impedimentum juxta dicta n. 471.

Quarto: debet obiter saltem videre, an non sine scandalo separari, vel saltem ut frater & soror abique periculo incontinentiæ cohabitare possint, juxta dicta n. 471.

Quinto: debet mandare penitenti, ut occasione proximam peccandi, si adhuc extat, amoveat, & donec auferatur, Dispensationem differre juxta dicta n. 462.

Sexto: debet etiam ante Dispensationem ipsi injungere gravem penitentiam, ac insuper Confessionem mensuram singulis mensibus ad minimum semel peragendam toto tempore vitæ, juxta dicta n. 464.

Septimo: injuncta penitentia debet ipsum absolvere à censuris, & aliis penis, juxta dicta n. 468.

Octavo: præstitis, & ritè observatis præfatis debet primùm cum ipso dispensare sub ipso adhuc Confessionis sacramentalis actu, & non extra Confessionem, juxta dicta n. 457.

Nonò: sub eodem Confessionis actu prolem, si dicta n. 474.

Decimo: instruere penitentem, qualiter Matrimonium de novo contrahere possit, & debeat, juxta dicenda §. fin.

Undecimo: facta executione, dispensatione, & legitimatione proles debet sub peccato mortali, & excommunicatione litteras dilacerare, vel alias ita corrumpere, ut ad probationem in foro externo non amplius servare valeant, juxta dicta n. 482. Nec potest eas in originali aservare, multò minus restituere penitenti, per dicta n. 484.

Duodecimo: non debet, nec potest penitenti dare litteras testimoniales de facta Dispensatione, nec unquam oretenas desuper tertari, juxta dicta num. 481.

§. X.

De Praxi procurandi Dispensationem apud Episcopum, tam pro foro externo, quam solo interno: Item de Praxi Dispensationis faciendæ per Episcopum, ac de formulis litterarum Dispensationis Episcopalis: Nec non de executione earundem.

S U M M A R I U M.

490 Dispensationem procurare volens apud Episcopum, debet ante omnia videre, an Episcopus in

casu dispensare valeat.

491 Et subinde, an Oratores sint verè pauperes.

492 Item an adisti justa causa dispensandi.

493 In supplicatione, quæ pro Dispensatione offertur Episcopo, debent exprimi, quæ exprimenda sunt in supplicatione, quæ Papæ offertur.

494 Quæ falsitas, & quis error in ea vitiet Dispensationem?

495 Formula supplicationis Episcopo offerendæ pro Dispensatione super impedimento consanguinitatis in tertio, & quarto gradu.

496 Formula similis super impedimento publicæ honestatis.

497 Alia formula ex causa præcedentis copule.

498 Supplicatio cui offerri debeat?

499 Recepta supplicatione debet Episcopus se informare de valore precum.

500 Et quomodo? ac num. seqq.

501 Potest Episcopus dispensandi facultatem sibi generaliter concessam alteri subdelegare, & per eum dispensare.

502 Optimum & decens est, quid Episcopus eo modo litteras Dispensationis expediat, quo expediat Curia Romana.

503 Formula Dispensationis Episcopalis, dum eam alteri committit.

Quando alicui conceditur finis, conceduntur etiam media. Ibid.

504 Executor in eis exequendis observare debet ea, quæ Executor litterarum Apostolicarum.

505 Formula Dispensationis Episcopalis, quam ipseniet Episcopus per se, & non per subdelegatum sicut pro foro externo ex facultate sibi generaliter concessa.

506 Dispensationem pro foro interno apud Episcopum, qui procurare vult, debet prius videre, an adsint conditiones requisite ad hoc, ut Episcopus dispensare valeat. Et quæ illæ?

507 Et an possit super impedimento dispensare? & super quo possit? Ibid.

508 Dispensatio potest oretenus peti & dari.

509 Sed non expedit & num. seq.

510 Quando apud Episcopum petitur Dispensatio, quanam exprimi debeant? & num. seq.

511 Et quis error, vel falsitas vitiet?

512 Modus supplicandi Sac. Penitentiarie & Episcopo ad obtinendam Dispensationem pro solo foro interno est serè idem.

513 Formula hujusmodi, & duobus seqq.

514 Juxta aliquos potest Episcopus pro foro interno oretenus dispensare.

515 Contrarium est securus.

516 Probatur ex Regulis Cancellariæ.

517 Solvitur Objeccio, & num. seq.

518 Ante Dispensationem attendere debet Episcopus, an adsint requisitæ conditiones.

519 Litteræ Dispensationis Episcopalis commodissimè inscribuntur & committuntur confessorio ex approbatis in genere, & n. 528.

520 Formula Dispensationis Episcopalis pro foro externo.

521 Ille, ad quem in specie dirigitur litteræ, non potest illas exequi, nisi à Penitente specialiter eligatur.

522 Executor Dispensationis Episcopalis pro foro interno quis esse possit?

523 Et quomodo in praxi exequi debeat?

Quæritur I. Quomodo in praxi procurari possit, & debeat apud Episcopum Dispensatio super publico impedimento Matrimonii pro foro externo? Quamvis etiam ad istam quæstio.

quæstione à potiori jam pateat ex dictis; nihilo minus quia hanc Appendicem scribimus pro commoditate conjunctis, abs re non erit, breviter, & clarè partim repetere, partim magis ad praxin declarare, quæ pro præfenti quæstio servantur, præsertim cum minus de his ad propositum inveniantur in Authoribus. Itaque Resp. Eum, qui pro foro externo Dispensationem procurare vult apud Episcopum, oportet sequentia observare.

490 Primò & ante omnia debet videre, an super impedimento, super quo Dispensatio desideratur, dispensare valeat Episcopus de Jure communi, vel speciali facultate, & quasi privilegio. Super quibus autem de Jure communi dispensare possit, habetur suprà à n. 10. Et super quibus ex speciali facultate, vel quasi privilegio n. 21. & 22.

491 Secundò, si Consanguinitatis, vel Affinitatis est impedimentum specialiter etiam videre debet, an Oratores reverà sint pauperes; quia super hoc impedimento non nisi cum pauperibus dispensare valet Episcopus juxta dicta n. 25.

492 Tertio debet videre, an & qualis adsit causa dispensandi, quia est nescio quas dispensandi speciales facultates, seu quasi privilegia habeat Episcopus, tamen sine justa causa nec validè, nec licitè dispensare potest juxta dicta num. 29. sufficit autem ad dispensandum pro foro externo quævis talis causa, ex qua dispensare potest, & sicut Papa juxta dicta num. 68. & 144. quanam autem sint causæ, ob quas dispensare solet Papa, habes §. III. à n. 69.

493 Quæritur II. Quanam in supplicatione ad Episcopum debeant exprimi ad obtinendam Dispensationem pro foro externo? Item quomodo in praxi formari & quò dirigi debeat dicta supplicatio? Resp. I. Debet in illa omnia exprimi, quæ necessariò exprimenda diximus in supplicatione ad obtinendam Dispensationem pro foro externo apud Curiam Romanam, videlicet 1. Nomen & Cognomen Oratorum. 2. Nomen Diocesis, & eiam Parochiæ ob dicenda n. 495. Et reliqua etiam expressè relatata suprà n. 203. ubi vide.

494 Resp. III. Debet etiam specialiter attendi, ne committatur falsitas circa causam finalem, seu motivam, & principalem; Item ne sint error circa impedimentum, aut gradum, vel Nomina Oratorum. Sicut enim litteræ Dispensationis Pontificiæ vitiantur & nullæ sunt ob dictam falsitatem, & errorem per dicta §. 5. ita etiam Dispensatio per Episcopum facta juxta dicta suprà.

495 Resp. III. Quamvis ad concipiendam supplicationem pro obtinenda Dispensatione apud Episcopum in ordine ad forum internum, nullus certus necessarius sit modus, sed suscipi, & attendi solet in quacunque forma offeratur; dummodò necessariò exprimenda ritè, veridicè, & reverentialiter proponantur, teste Curiarum Episcopaliū praxi; tamen optimum ac securissimum est, in supplicatione eum adhibere modum & formam, qui adhibetur dum supplicatur Papæ; quia non potest non esse bonus & securus modus, quem Romana Curia continud approbat.

Hinc sicut apud Curiam Romanam debet, ita apud Episcopum convenit, supplicationem formare idiomate latino, propriis, claris, ulstatis, & brevibus verbis juxta dicta n. 236. quia etiam Episcopus non desiderat inutiles ambages aut superfluas ceremonias, multò minus quæstia ornata, vel affectata verba, sed substantiam rei simpliciter, clarè, & breviter propositam.

Resp. IV. Dicitis conformiter benè fit supplicatio ad Episcopum modo sequenti.

Formula supplicandi Episcopo ad obtinendam pro foro externo Dispensationem super impedimento Consanguinitatis in tertio & quarto gradu ex defectu competentis dotis.

Titulus v. g. ad Episcopum Germaniæ. Reverendissime ac Celsissime S. R. I. Princeps, Domine Clemensissime.

Exponitur humiliter Celsitudini Vestræ pro parte devotorum Illius Oratorum Cosimiri N. laici, & Annæ N. Diocesis Frisingensis, Parochiæ N. (expedit addere Oratorum Parochiam, quia sicut Papa Episcopus, ita Episcopi solent nonnunquam Oratorum Parochia committere vel ipsam Dispensationem, vel saltem capiendam informationem super expositis: quòd si Oratores sint diversæ Parochiæ, ita exprimatur; quorum ille Aubingensis, ista v. r. Cambensis est Parochiæ) quòd, cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem juxta statum sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum vel affinem parvis conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat & dictus Orator cum dicta minus competente dote Oratrix in uxorem ducere intendat, cupiunt Oratores præfati invicem matrimonialiter copulari, sed quia tertio & quarto à communi stipite prævenientes gradibus invicem conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Dispensatione; quoniam verò sciunt, Celsitudinem suam gaudere speciali per Sedem Apostolicam concessa facultate dispensandi cum pauperibus (quales Oratores reverà sunt) in tertio & quarto, supplicant humiliter, quatenus cum eisdem Oratoribus, quòd impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se publice servatè formi Concilii Trident. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè & licitè valeant, dispensare; distantiam verò quarti gradus non obsistere, declarare dignetur, de specialis gratia. Non obstantibus præmissis & Constitutionibus, ac Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ad hunc modum potest etiam ex aliis causis, & aliis impedimentis fieri supplicatio, proponendo ac immiscendo causas, ac impedimenta, ipsamque petitionem faciendò juxta dicta n. 243. & 267. ac 277. v. g.

Formula supplicationis pro Dispensatione super impedimento publicæ honestatis, ex causa atatis mulieris.

Reverendissime &c. ut suprà. Exponitur humillimè ut suprà num. præced. quòd, cum dicta Oratrix vigesimum quartum annum, & ultra ætatis suæ agens, virum parvis conditionis, cui nubere possit, non invenit. Cupiunt Oratores præfati invicem matrimonialiter copulari. Sed quia aliis dictus Orator sponsalia per verba de futuro cum Oratrix sorore, vel matre adhuc supersiste, vel ad presens desinca contraxit, suum desiderium &c. ut suprà num. præced. Quoniam verò sciunt Celsitudinem suam gaudere speciali facultate per Sedem Apostolicam concessa dispensandi super impedimento publicæ honestatis, (nota non esse necesse circa hoc impedimentum addere paupertatem Oratorum, quia super hoc, & nonnullis aliis impedimentis potest Episcopus cum omnibus etiam non pauperibus dispensare juxta dicta num. 25.) Hinc supplicant humiliter, quatenus non obstante publicæ honestatis impedimento hujusmodi, ex sponsalibus de futuro proveniente, Ma.



Matrimonium inter se publice servat à formâ Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesie solemnizare, & in eo postmodum remanere libere, & licite valeant, dispensare dignetur. Non obstantibus &c.

Formula supplicationis pro Dispensatione super impedimento Cognationis spirituales ex causa præcedentis copulæ.

- 497 Si petitur Dispensatio ob præcedentem copulam vel Matrimonium jam contractum, sollicitatur etiam legitimatio prolis, sitque mutatis mutandis supplicatio ut supra à n. 260.
- 498 Resp. V. Supplicatione ritè formata possunt Oratores vel per se ipsos, vel tertium v. g. Parochum mittere, vel personaliter offerre ipsi Episcopo, aut ejus Vicario Generali, vel Consilio Ecclesiastico, facta tamen inscriptione per competentem Titulum ipsi Episcopo, quæ recepta fieri curabit Episcopus informationem debitam, & faciet, quod justum videbitur.
- 499 Queritur III. An, & quomodo Episcopus ante Dispensationem de precibus, & aliis in supplicatione expositis se informare debeat? Resp. I. Quotiescunque petitur dispensatio pro foro externo, non solum debet, nec potest Episcopus fidem habere solum Oratorum assertioni, & dispensare, sed debet prius, non preces veritate intantur, sufficientem informationem capere. Communis, ac certa. Ratio patet; quia alias sepe evenirent scandala publica ob nullitatem plurium matrimoniorum publicè contractorum, nonnullis Oratoribus vel ex ignorantia, & bona fide, & malitia, falsa narrantibus, vel in re graviter errantibus; scandala autem pro viribus evitare tenetur Episcopus per vulgaria: ergo.
- 500 Resp. III. Modus informandi se de precum veritate, aliisque expositis idem esse potest cum illo, quo uti potest & debet, dum ex speciali delegatione executor est Apostolicarum litterarum Dispensationis: de quo modo vide à num. 327. cum remissione item num. 359. Potest autem dictam informationem vel ipsemet capere citando Oratores, vel testes necessarios ad sedem suam Episcopalem, vel eam committere tertio v. g. Parocho Oratorum juxta dicta.
- 501 Resp. III. Si petitur Dispensatio apud privilegiatum Episcopum super impedimento Affinitatis, vel Consanguinitatis, debet specialiter etiam se informare de paupertate Oratorum. Ratio patet; quia cum ipse super isto impedimento non nisi cum pauperibus dispensare valeat pro foro externo, uti constat ex tenore specialium facultatum n. 22. & 25. allegato, utique prius ei legitime constare debet de Oratorum qualitate.
- 502 Modus autem capiendi informationem de paupertate Oratorum est, quem præscripsit Urbanus VIII. juxta formam supra n. 402. allegatam. Quis autem habendus sit pauper, habes etiam supra à num. 322.
- 503 Queritur IV. Qualiter capta informatione debita, & verificatis verificandis actu dispensare? Item qualiter litteras Dispensationis expedire possit, & debeat Episcopus pro foro externo? Resp. I. Quamvis Episcopus non possit delegare alteri potestatem dispensandi specialiter sibi concessam pro executione litterarum Apostolicarum juxta dicta & probata supra n. 353. Potest tamen specialem facultatem dispensandi sibi generaliter, & quasi per modum privilegii concessam alteri delegare, consequenter non tantum per se ipsum, sed etiam per alium dispensare pro foro externo. Sanchez lib. 3. Disp. 31. nu. 1.

Sperel. decis. 106. num. 46. Maranta de Ord. Jud. p. 4. d. 5. Ratio: Tum quia Delegatus Principis (qualls utique est Papa) potest subdelegare. arg. e. cum causa s. fin. de Appellat. & l. un. C. qui pro sua Jurisdic. nisi Papa deleget nudum ministerium in causa particulari juxta n. 353. arg. e. fin. s. fin. de Offic. Delegat. Tum quia, si facultas generaliter delegatur dispensandi cum quovis super certis in pedimentis, censetur concessa ad universalitatem causarum in hac materia; atqui Delegatus ad universalitatem causarum in hac materia potest subdelegare, ut cum communi docuimus Lib. I. Tit. XXIX. num. 62.

Confirmatur ex ipso tenore ipsarum specialium facultatum generaliter concessarum Episcopis Germaniæ, utpote in quibus expresse conceditur potestas communicandi præfatas facultates in totum, vel in partem, prout opus est secundum conscientiam ejus judicaverit, sacerdotibus idoneis &c.

Cæterum hec notanda est hæc differentia inter potestatem dispensandi generaliter, & specialiter concessam, siquidem illa subdelegari potest juxta modum dicta, non item illa per dicta n. 353.

Resp. II. Optimum & securissimum, simulque decens est, quod Episcopus in expediendis Dispensationis sue litteris, quantum fieri potest, observet modum & stylum Curie Romanæ, ita tamen, ut dum ex speciali facultate generaliter sibi concessa dictis suis Dispensationis litteris inserat necessarium inferenda juxta dicta nu. 22. & clausulam ibidem statim ab initio allegatam, quam omnino lege, quia requiritur ad valorem. Ratio autem conclusiva est; quia Curia Romana tanquam Mater & Magistra ab omnibus est sequenda. Gonzalez in Reg. VIII. Cancell. Gloss. VI. num. 211. Speculator de Appellat. SS. de Officio quoque, num. 14. Gigas de Pension. Q. 85. ante n. 3.

Inferatur, quod, si alteri committat, seu deleget potestatem dispensandi super aliquo impedimento pro foro externo, Commisssionis litteras seu mandatum de dispensando mutatis mutandis bene expediat ad modum litterarum Apostolicarum n. 293. allegatarum, uti ex sequente formula liquet.

Formula litterarum Episcopaliū, quibus Parocho, vel alicui alteri delegat potestatem dispensandi sibi competentem ex speciali facultate, seu quasi privilegio generaliter concessa super impedimento publicæ honestatis.

Nos NN. Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus N. &c.

Josepho N. Parocho in N. salutem in Domino. Oblata nobis nuper pro parte devotorum Oratorum Casimiri N. Laici, & Annæ Divicissis nostræ N. Parochiæ N. petitionis series continebat. Quod, cum (referuntur per extensum preces ab Oratoribus factæ v. g. ut supra num.) dicta Anna vigesimo quartum annum & ultra ætatis suæ agens, virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Cupiunt Oratores matrimonialiter copulari. Sed quia publicæ honestatis impedimentum ex sponsalibus de futuro proveniens eis obstat, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eisdem in præmissis de opportuna Dispensationis remedio de benignitate nostra providere dignaremur. Nos igitur (qui specialem à SS. Domino nostro Innocentio Papa XII. Mense Maii Anno ad quadriennium nobis generaliter concessam, & die Mensis Martii Anno. iterum renovatam habemus facultatem tenoris

tenoris sequentis: dispensandi super impedimento publicæ honestatis Justitiæ exsponsalibus proveniente) autoritate Apostolica nobis delegata eosdem Casimirus & Annam, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, absque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à Jure, vel ab homine quovis occasione vel causa laici, si quibus quomodolibet innovati existant, ad effectum duntaxat præsentium consequendum harum serie absolventes, & absolutis fore censentes (debet & potest etiam in sua Dispensatione præmittere abolitionem prædictam. Debet; quia Oratores non essent capaces gratiæ Dispensationis casu, quo excommunicatione irretiti existissent. juxta dicta n. 310. arg. e. l. de Rescript. in 6. Potest, quia quando Papa concedit finem, censetur etiam concedere media ad finem. Arg. c. Præterea 5. de Offic. delegat. ibi. Ex eo, quod causa sibi committatur, super omnibus, quæ ad causam spectare noscuntur, plenariam recipi potestatem, consequenter si facultas dispensandi conceditur, tacite etiam conceditur potestas abolendi à censuris, & penis in ordine ad consequendum effectum Dispensationis, cum sine tali absolute effectus Dispensationis haberi non possit in executionem v. g. Hæc tamen absolutio præcisè valet ad consequendum Dispensationis effectum, non item ad alios effectus; & hinc habitus Dispensationis effectu ita absolute iterum reincidunt in priores penas juxta dicta n. 312.) ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinatam Discretionem tuam, de qua in his specialibus in Domino fiduciam habemus, hujusmodi auctoritate Apostolica mandamus; quatenus de postea per te omni spe cujusvisque numeris, aut præmissis etiam sponte oblatis, à quo te omnino abstinere monemus, te de præmissis diligenter informes: & si, per informationem eandem preces veritate niti repereris, super quo Conscientiam tuam oneramus, tunc cum eodem Casimiro & Anna (dummodò illa propter hoc raptam non fuerit, aut si raptam fuerit, in raptoris potestate non amplius existat) quod impedimento quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se publice, servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesie solemnizare, & in eo postmodum remanere libere, & licite valeant, præfata auctoritate Apostolica harum litterarum serie dispensamus; distantiam vero tertii gradus prædicti eis non obstatè declaramus (si ob præcedentem copulam, vel ob Matrimonium jam contractum dispensatur, additur etiam legitimatio prolis illis verbis) prolem susceptam, si qua sit, & suscipendam exinde legitimam nutriendo. In quorum &c. Datum N. Die Mensis Anno.

506 Quas Commissionis litteras debet subdelegatus mutatis mutandis exequi, & in executione clausulas, & alia observanda observare, sicut Apostolicas dispensationis litteras exequitur Papæ Delegatus v. g. Vicarius Generalis juxta dicta §. VII. à numero 295.

507 Resp. III. Si Episcopus Dispensationem non delegat, sed ipsemet capta per se, vel alium informatione dispensat vi specialis facultatis, seu quasi privilegii pro foro externo, tunc verificatis verificandis ad imitationem styli Apostolici ita expedire potest litteras.

Formula Dispensationis Episcopalis, per ipsum Episcopum vigore specialis facultatis, & quasi privilegii facta, pro foro externo super impedimento Consanguinitatis, & Affinitatis in tertio & quarto gradu.

Nos NN. Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus

N. Oblata Nobis nuper pro parte devotorum &c. ut supra n. 505. (narrantur etiam preces Oratorum) quod cum &c. (ut supra v. g. n. 495. quibus finis pergitur) Nos igitur, qui specialem à SS. Domino nostro Innocentio Papa XII. die Mensis Junii Anno Nobis ad quadriennium generaliter concessam, & die Mensis Anno à moderno SS. Domino nostro Clemente XI. denovo renovatam habemus tenoris sequentis: (dispensandi in tertio & quarto simplici, & mixto tantum cum pauperibus in contrahendis, in contractis vero cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici, & mixto, dummodò nullo modo attingat primum gradum, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam) capta de expositis diligentem informationem, & reperta precum veritate, simulque invento, quod Oratores verè pauperes suis laboribus & industriis tantum viventes existant, (si Dispensatio sit ob præcedentem copulam, aut Matrimonium jam contractum, subjungitur, ac imposta illis salutari penitentia NN. v. g. peregrinationis v. g. nec non recepto ab eis juramento, quod data operâ ad Dispensationem faciilius obtinendam crimen incestus non commiserint) eosdem Petrum & Claram, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis &c. (sequitur absolute à censuris ut supra n. 505. ob rationem ibidem allegatam) ac post verba, & absolute fore censentes, cum eodem Petro & Clara (dummodò illa propter hoc raptam non fuerit, aut si raptam fuerit, in raptoris potestate non amplius existat) quod impedimento quarti Consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, Matrimonium inter se publice, servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesie solemnizare, & in eo postmodum remanere libere, & licite valeant, præfata auctoritate Apostolica harum litterarum serie dispensamus; distantiam vero tertii gradus prædicti eis non obstatè declaramus (si ob præcedentem copulam, vel ob Matrimonium jam contractum dispensatur, additur etiam legitimatio prolis illis verbis) prolem susceptam, si qua sit, & suscipendam exinde legitimam nutriendo. In quorum &c. Datum N. Die Mensis Anno.

Queritur V. Quomodo in praxi procurari possit, & debeat apud Episcopum Dispensatio super occulto impedimento Matrimonii pro solo foro interno? Resp. I. Volens pro solo foro interno Dispensationem procurare apud Episcopum, debet ante omnia videre, & bene considerare, an casus habeat condiciones necessariè requisitas ad hoc, ut Episcopus pro foro interno dispensare valeat juxta dicta §. I. num. 15. & tota §. II. Videlicet primò. An impedimentum revera sit occultum juxta dicta à n. 43. Secundo. an aditè gravis causa, seu magna necessitas juxta dicta à n. 47. Tertio, an necessitas sit etiam urgens, ita ut non patiat moram, donec Dispensatio Româ à S. Penitentia veniat juxta dicta à nu. 49. Quarto, An Matrimonium bona fide jam sit contractum in facie Ecclesie, & præmissis denuntiationibus juxta dicta à nu. 57. harum enim conditione vel unica deficiente, quia Episcopus dispensare non potest juxta dicta locis citatis, frustraneè quis pro Dispensatione supplicaret, si mulque graviter peccaret, si scilicet induceret, aut inducere saltem conaretur ad Dispensationem nulliter faciendam, Matrimonio exinde invalide fecuturò. Excepto solo casu valde extraordinario, quo Episcopus deficiente quarta conditione, id est, ante Matrimonium dispensare potest juxta dicta à n. 62. Præterea debet videre, an impellentium fit tale, super quo concurrentibus allegatis num. præced. conditionibus dispensare valet Episcopus. Potest autem



autem Episcopus concurrentibus dictis conditionibus pro solo foro interno dispensare supe quovis impedimento, super quo etiam absque his conditionibus dispensare potest, & solet Sac. Penitentiarum iuxta dicta superius, quae Sac. Penitentiarum super quovis impedimento occulto iure duntaxat Ecclesiastico dispensare potest, & solet, excepto impedimento etiam occulto Consanguinitatis in primo & secundo gradu inaequali iuxta dicta supra num. 419. super quo proin neque Episcopus dispensare poterit, quantumvis magna, & urgens adfit necessitas, bene verò super ceteris, accedente praesertim universali consuetudine & praxi, qua videmus, quòd sicut Sac. Penitentiarum, ita etiam Episcopus (concurrentibus praefatis conditionibus) dispensare solet pro foro interno etiam super primo gradu affinitatis tam in recta, quam in transversa linea v. g. quòd quis contrahere possit Matrimonium cum filia, cuius matrem prius fornicarie cognovit.

510 Resp. II. Quamvis Dispensatio pro solo foro interno apud Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem (si hic desuper habet speciale mandatum iuxta §. 1. n. 34.) oretendus procurari, sollicitari, & etiam oretendus dari valeat (dummodò requisitae conditiones adsint) tamen ordinariè loquendo longè securius & consultius est, indeque merito suadet, ut Episcopus, vel Vicarius Generalis sollicitationes oretendus factas pro Dispensatione etiam pro foro interno super impedimentis occultis non suscipiat, sed sollicitanti dicat, ut memoriale, seu supplicationem expressis in ea necessariò exprimens offerat, fore dein, quòd rectum videbitur. Ratio prioris partis est: Tum quia scriptura non est de essentia dispensationis iuxta dicenda infra num. 520. Tum quia ita habet passim vigens consuetudo nonnullarum Curiarum Episcopaliū, quae deficientibus ceteris in hoc tribueri jurisdictionem arg. c. Duo simul. de Offic. Ordinar. & c. Cum contingat, 13. de foro competent. dictumque est amplius Lib. I. Tit. II. à num. 471.

511 Ratio secundae partis est; quia periculosum est, Dispensationem concedere, nisi casus & preces prius bene perpendantur, iisque iustis repertis, Dispensationi clausulae debite apponantur, atqui neutrum horum commodè fieri potest, si oretendus tantum, & non in scriptis pro Dispensatione supplicatur: Tum quia in supplicatione verbali saepe vel non omnia, vel non debite, & sufficienter proponuntur, vel ritè propòita non semper bene percipiuntur, vel bene percepta oblivione ex parte iterum delentur, consequenter Dispensationem nonnunquam penitus invalidam, vel non debite clausulatam secum trahunt.

512 Et certè si ad supplicationem solum oretendus factam, statim oretendus etiam, & quasi ex tripode datur dispensatio ab Episcopo, debite clausulae & penitentiae impositio, aut non possunt, aut non solent adhiberi, & per Episcopum adhibita, vel non satis capiuntur, vel è memoria iterum elabuntur, vel alias non observantur, non sine nullitatis multiplicis periculo.

513 Queritur VI. Quomodo supplicatio in praxi formari, & quoniam in illa exprimi debeant, quando apud Episcopum sollicitatur Dispensatio super impedimento occulto pro solo foro interno? Item quae omisso, falsitas, vel error vitiet, & annullat Dispensationem Episcopalem? Resp. I. In tali supplicatione debent exprimi omnia, quae exprimens sunt in supplicatione, quò pro solo foro interno petitur Dispensatio apud Sac. Penitentiarum iuxta dicta n. 421. quorum aliquid, si omitatur,

obreptitia, & nulla censetur gratia per dicta cit. n. 423. & seq.

Uterius debet casus ita proponi, ut intelligat Episcopus, concurrere in illo conditiones ad dispensandum requisitas iuxta dicta n. 503.

Resp. II. Eadem Falsitas, & error in precibus oblati, qui vitiat, & annullat Dispensationem Sac. Penitentiarum, iuxta dicta nu. 423. vitiat, & annullat etiam Dispensationem Episcopalem pro solo foro interno; quia utrobique est eadem ratio, consequenter eadem legis dispositio arg. l. Non possunt. ff. de legib.

Resp. III. Quamvis nulla certa Forma, seu modulus, & stylus formandi supplicationem offerendam Episcopo ad obtinendam Dispensationem pro solo foro interno fit necessarius, sed sufficit, si necessariò exprimenda clarè, breviter, reverentialiter proponantur, tamen optimè, & securissimè faciunt sollicitantes, si utantur modo & forma apud Sac. Penitentiarum recepta iuxta formulas n. 426. allegatas; ita tamen, ut exprimens ita exprimat, quatenus ex illis clarè intelligat Episcopus, concurrere conditiones requisitas ad dispensandum, videlicet 1. Impedimentum esse reverè occultum. 2. Matrimonium actu jam contractum, & quidem bona fide, praemisissis denuntiationibus in facie Ecclesiae. 3. adesse gravem causam, seu necessitatem. 4. Et quidem urgentem, ita, ut non patiar moram seu dilationem (v. g. ob periculum incontinentiae, quod ordinariè adest per dicta n. 54.) donec dispensatio Romà à Sac. Penitentiarum veniat, ut patet ex sequenti formula.

Formula supplicationis pro obtinenda apud Episcopum Dispensatione super impedimento occulto pro solo foro interno.

Reverendissime ac Celsissime S. R. I. Princeps, 517 Domine Domine Clementissime.

Exponitur humiliter Celsitudini suae pro parte devota illius Oratrix (additur sicut nomen v. g.) Titiae, Diaecesis Frisingensis (nota addendum esse nomen Diaecesis, quia cum Oratore alterius Diaecesis Episcopus dispensare nequit; non item Patrociniae, ut crimen omni possibili modo maneat occultum) quòd ipsa ignara impedimenti praemisissae denuntiationibus in facie Ecclesiae bona fide contraxerit Matrimonium, illudque successivè consummaverit (si proles etiam exinde habetur, additur v. g. suscepta etiam exinde prole) cum viro, à cuius fratre vel filio antea fornicarie erat cognita. Cum autem dicta Oratrix ob affinitatis impedimentum ex praedictis proveniens, quòd occultum est, in eo Matrimonio remanere non possit absque dispensatione: Et si divorcium inter eos fieret, gravia exinde scandala verosimiliter orirentur, capis à praemisissis, de quibus summè dolet, absolvi, & secum super impedimento ad remanendum in dicto Matrimonio dispensari. Quare Celsitudini vestrae humillimè supplicat, ut super his de opportuno remedio clementissime providere dignetur, eo quòd absque periculo incontinentiae, vel gravis infamiae Dispensatio Romà expectari non valet.

Vel brevius ad imitationem formulae supra num. 428. posita.

Reverendissime ac Celsissime S. R. I. Princeps, Domine Domine Clementissime.

Titia Diaecesis Frisingensis, ignara impedimenti, 518 in facie Ecclesiae, & praemisissis denuntiationibus bona fide contraxit Matrimonium cum viro, & cuius fratre, vel filio prius carnaliter fuit cognita. Quare cum absque scandalo separari non possint, & donec dispensa-

Dispensatio Romà adveniat, periculum incontinentiae aut gravis diffamationis interveniat, putativo marito impedimenti inscio, supplicat humillimè pro dispensationis remedio super hoc impedimento, quòd est penitus occultum.

Pariter formari possunt aliae supplicationes in aliis casibus supra.

Formula supplicationis pro Dispensatione competente Episcopis ante Matrimonium in casu extraordinario iuxta dicta supra n. 62.

Reverendissime &c.

519 Titius Diaecesis Frisingensis, postquam Cajam carnaliter cognovit, ignarus impedimenti contraxit sponsalia de futuro cum Cajae sorore, & ad nuptias publice celebrandas jam determinavit diem, convivium indixit, vestes nuptiales, cunctaque alia praeparavit, hospitibus etiam plurimis invitatis. Quare cum impedimentum sit penitus occultum, & donec Dispensatio Romà adveniat, nuptiae absque diffamationis ex variis suspitionibus proveniente periculo differri nequeant, supplicat humillimè Celsitudini Vestrae pro clementissimo Dispensationis remedio.

520 Queritur VII. Quomodo in praxi per Episcopum concedi & expediri possint, ac debeant Dispensationes super impedimentis occultis pro solo foro interno? Resp. I. Quamvis, ut supra n. 510. jam diximus, sicut apud Episcopum oretendus peti, ita etiam ab eodem Episcopo oretendus concedi valeat Dispensatio super impedimentis occultis pro solo foro interno, consequenter scriptura ad eam necessaria non fit, nihilominus melius, securius, decentius, mentique Pontificiae conformius est, ut non nisi in scriptis debita cum forma fiat, & expediat. Primam partem, quòd scriptura necessaria non fit, tenet Pont. de Matrim. lib. 8. cap. 15. Sanchez. lib. 8. Diss. 29. Anchar. in Clem. Dudum. de sepult. num. 39. & ibi Imola nu. 51. Abbas in c. Nostra. de Rescript. nu. 11. cum communiore tam Theologorum, quam Canonistarum doctum, scripturam non requiri ad valorem, sed tantum ad probationem Dispensationis etiam Apostolicae arg. cit. Clem. Dudum. de sepult. ibi: universa privilegia, gratias, vel indulgentias verbo seu scripto, seu quacunque forma. Accedit praxis & consuetudo plurium Curiarum Episcopaliū, qua constat, praecise oretendus peti subinde, & concedi ab Episcopo, vel ejus Vicario Generali Dispensationem pro foro interno. Consuetudo autem legitime praescripta tribuit jurisdictionem per vulgaria jam saepe allegata.

521 Secunda pars inde probatur, quia multi & praecipue practici ut Corrad. in praxi Dispensat. lib. 1. cap. 6. nu. 1. Justis de dispensat. lib. 1. cap. 3. & aliis apud ipsos docent, quamlibet Dispensationem Pontificiam esse invalidam, vel non suffragari, nisi in litteris expediat. Ratio est; Tum quia ita habet notorius stylus Curiae Romanae, qui facit jus novum, & derogat Juri communi priori arg. c. Ex litteris. de Constit. & c. quum gravi. de crim. falsi. Tum quia quidquid fit de Jure communi, ita expresse habet bina Regulae Cancellariae 27. & 52. quarum prior ita sonat.

522 Cum ante consecrationem litterarum gratia Apostolica sit informis, voluit, statuit, & ordinavit idem Dominus Noster, quòd Iudices in Romana Curia & extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, causarum Palatii Apostolici Auditores Reiffentuel Jus Can. Tom. IV.

vel quicumque alii non iuxta supplicationum signatarum super quibusvis imperatoribus (nisi in dicta Curia duntaxat sint commissioes iustitiam concernentes per Placet, vel per S. R. Ecclesiae Vice-cancellarium iuxta facultatem super hoc sibi concessam signatae) sed iuxta litterarum super eisdem imperatoribus, & concessioibus confectarum tenores, & formas iudicare debeant. Decernens irritum &c.

Altera verò:

Cum concessiones super gratis Dispensationum quarumcunque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum per Regulas Cancellariae Apostolicae sint providè limitatae, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi concessioibus oblati, multa sint petita, ne quis talium concessioem praetextu, id dispensatè tenere, aut facere praesumat, ad quòd concessiones hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quòd nulla talis dispensatio recipiam in Iudicio, vel extra suffragetur, antequam super ea litterae Apostolicae sint concessae. Ubi notanda verba, neque in Iudicio, neque extra; ex quibus Corrad. loc. cit. num. 11. bene inferit Dispensationem litteris non expeditam, neque in foro interno suffragari, & Doctores contrarium tenentes vel non scivisse vel non reflexisse ad hanc Cancellariae Regulam, & stylum Curiae.

Nec dicas, haec procedere de Dispensationibus Apostolicis, non autem Episcopaliibus. Nam contra est; Tum quia Episcopus super impedimentis occultis pro foro interno ex sola tacita licentia Papae dispensat per dicta supra à num. 15. non censetur autem Papa tacite concedere Episcopo licentiam dispensandi tali modo, quali ipse nunquam dispensat, & quale in Curia sua reprobat. Tum quia Curia Romana tanquam Mater & Magistra ab omnibus est sequenda. Gonzalez Reg. VII. Gloss. VI. n. 211. Speculator de Appellat. §. de Officio quoque n. 14. Gigas de Pension. q. 58. ante n. 3. Tum quia in aliis, si Dispensatio censetur invalida apud Curiam Romanam, censetur quoque talis apud Curiam Episcopalem; ergo etiam in isto puncto. Accedit ratio supra n. 511. allegata, ac etiam illa, ob quam Papa vi Regulae Cancellariae invalidas declaravit omnes Dispensationes sine expeditione litterarum factas.

Et quamvis contra haec adhuc militare videatur argumentum à Consuetudine desumptum, nihilominus, quia locorum consuetudines saepe non habent requisita ad hoc, ut derogent legi, & tribuant jurisdictionem per dicta Tit. IV. de Consuetud. omnino suadet, ut Dispensatio etiam pro foro interno, non nisi scriptis, in debito Curiae conformi stylo, clausulis debitis munita forma, idque ad praecedentem supplicationem in scriptis debite formatam, & oblatam fiat, praesertim quia agitur de valore Sacramenti, qui à valore Dispensationis dependet.

525 Resp. II. Si pro foro interno dispensare vult Episcopus, debet prius bene considerare, an adsint conditiones supra nu. 503. recensitae, requisitae ad hoc, ut dispensatio pro solo foro interno valeat. Ratio patet; quia aliàs Sacramentum periculo nullitatis exponeretur.

526 Resp. III. Forma dispensandi seu potius expediendi litteras super impedimento occulto pro foro interno, optima ac securissima est, quae fit conformiter stylo Sac. Penitentiarum, ex quo illud specialiter observandum, ut, cum occultus delinquens ad Episcopum, vel ejus Curiam in persona non veniat, nec alibi quam in Confessionali se prodatur, informationem de precum veritate